



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa IX. De Divo Augustino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)

atione magnificè olim dixerat, dum
 veritati minus, plusculum & gratiæ
 daret eloquentissimus Consul: *Cui ni-
 bil ad augendum fastigium superest, is uno
 modo crescere potest, si se ipse submitat se-
 curus magnitudinis suæ.*

PROSA NONA.

De Divo Augustino.

ORATIO.



Mnis Cælestium He-
 roum vita ad absolu-
 tissimam sanctitatis
 normam exacta id
 potissimum habet,
 ut tanquam nobile
 divinæ magnificentiæ
 theatrum quacumque demum ex par-
 te nobis ad aspectum obiicitur, maxima
 semper admiratione sui nos teneat.
 Veruntamen in augustissimis eorum
 pectoribus ex intima sanctioris discipli-
 næ cultura germinasse quosdam novi-
 mus quasi lectissimos flores virtutum,
 qui inter ceteros omnes elegantia, &
 dignitate præfulgent, & ex omnibus
 ma-

maximè in sui commendationem omnes humanæ intelligentiæ, atque eloquentiæ vires vendicant Auditores humanissimi. Satis id quidem apertum nobis reliquit Sanctissimus Doctor Tagaste in Africa natus, Hippone in Africa Præful, qui per sui nominis famam multò feliciùs, quàm alter ille genere, alter & ille cognomento Africanus; universum terrarum orbem lustravit, Aurelius Augustinus. Is etenim ex quo primùm discussa veterum errorum caligine bonæ mentis crepusculum divinitus hausit, tam assiduum sese christianæ pietatis cultorem per reliquam deinde vitam exhibuit, ut è singulis virtutibus, quarum uberrimam segetem intimis sensibus excolebat, magnum sit sanctimonie miraculum constitutus. Attamen duplex præ aliis virtus supra humanum fastigium meo quidem iudicio Augustinum evexit, altitudo sapientiæ, & voluntariæ submissionis profunditas. Duas hasce virtutes, quarum singulæ per sese ad interioris hominis ornamentum non mediocriter facerent, in uno Augustini pectore mira quadam cognatione devinctas hodie-

dierna vobis luce ante oculos ponam. Unde illum, quoddam sanctitatis monstrum fuisse, ex tanta illa altitudine simul, & profunditate compactum, nec tam ex Africa missum, quàm è cælo delapsum cognoscatis.

Ne verò quispiam sub ipsum meæ orationis initium eo me crimine in primis coarguendum censeat, quòd suorum rem quamque momento minus accurate perpendam, & plus longè in laudatione, & præconiis excedam, quàm quantum ratio, & veritas patiatur; oportet id, quod in confesso alioquin est apud omnes, quisque statim apud se reputet, aut recorderetur; monstrum passim, & vulgo appellari, nec perperam, quidquid iis partibus, quæ difficile, atque adeo vel nunquam, vel vix unquam cõveniunt, coalitum, & coagmentum apparet: cum enim ita natura comparatum sit, ut nova mirètur mortales, fit exinde, ut in iis, quæ frequenter eveniunt, obducto quasi consuetudinis callo mentis humanæ facultas ad inspiciendum, suspiciendumque torpescat, & ipsa nostram obtundat, atque obruat admirationē superingesta admiran-

randarū rerum frequentia: Quæ autem præter solitum, & rarò contingunt, ea monstri, prodigiique loco habeantur. Jam verò quàm arduum, quàm rarum sit, ut unus, idemque animus cum amplitudine sapientiæ modulum humilitatis continenter sustineat, res est omnibus satis abunde explorata. Hæc porro ipsa, quæ invicem componere plurimi opus negotii, arduique moliminis appellamus, quàm admirabili fædere, beatoque concentu, suo Augustinus in pectore composuerit, id proponitur in præsentia demonstrandum: quod ut planè assequamur, utramque Sanctissimi Doctoris virtutem mirificam, hoc est, sapientiam, & demissionem commemorare seorsum aggredior. Et quidem quod ad sapientiam pertinet, cum eam oratione complecti usquequaque non possim, juvat potiùs allegare vos, Auditores, ad illos cælestis doctrinæ codices, quibus Augustinus, quoad litteræ loquentur, & contra temporis fugam, atque oblivionis injuriam stabit vivax litterariæ rei, ac litteratorum memoria, impios hostes Christiani nominis, & dogmatis pro.

proffigabit. Versate manibus, si libet, ea, quæ ad arcanam Davidis in psalmis mentem nobis aperiendam nos docuit. Versate, quæ ad sublime Joannis Evangelium explanandum conscripsit. Expendite argumentorû pondera quæ in Pelagium, & Pelagianos pro divina gratia; quæ pro Civitate Dei in impios Idololatrias, velut amentatas hastas totis sapientiæ suæ lacertis contorsit. Recolite quæ Arrianæ perfidiæ, id temporum per omnes propemodum nationes grassanti fortissimus divini Verbi vindex objecit. Recolite quæ de Christiana doctrina, quæ de Trinitate, quæ de verbis Domini, & Apostoli adversus Hæreticæ malignitatis, vitiorumque omnium pestem disseruit. Recolite & alia, quæ si nominatim omnia percensere velimus, videbimus utique, numero comprehendi vix posse, quæ sedulus hic Catholicæ veritatis propugnator, morumque institutor acumine, consilio, studio, totoque animi sui contentione molitus est. Adeat ea per se ipse quicumque eximium, ac penè divinum Augustini ingenium admirari voluerit; tùm sanè id
tu,

futurum non dubito, ut tanquam locupletem omnigenere sapientiæ domum animadvertat se ingredi; ita nimirum divitias, & felicissimam doctrinæ copiam locis omnibus circumspiciet, ita velut de jugi puteo, & scilicet profundissimo hauriendam semper, nunquam exhauriendam sanctorum scientiam comperiet: in nulla rei quantumvis absconditæ tractatione imperitum, & rudem; in nulla peregrinæ quantumvis veritatis notione peregrinum, & hospitem Augustinum apprehendet: immò usque adeo rerum ille omnium venas, quas attingere humana cognitio potest, cognitionis subtilitate pervasit, usque adeo ipsa divinarum rerum arcana, quæ communem, & nostratam conditionem transfiliunt, vestigavit; ut stupendum omnino videatur, ejus ingenii facultatem in plura studia latissimè decurrentem, in singulis tamen non modò non defluxisse flaccidam, elumbem, aut enervem, sed maximè præsentem, & validam, & vividam constituisse.

An autem tanta, tamque arguta, excogitandi celeritas, tam lacertosa
dis-

disputandi vehementia, in qua unanimi calculo, plenoque suffragio ab omnibus doctis inter Doctores omnes summus Augustino principatus, & tanquam regnum asseritur; venustissimæ eloquentiæ coloribus destituta est, prorsus ut invenusta, ac decolor squaleat, quin imo & agrestis rigeat, aut fluitet lutulenta? Ignorat profectò qui in ea vel pendet suspicione, vel opinione versatur, Augustinum aliquando linguam etiam cautis forensibus acuisse: ignorat, Romæ primùm, tum etiam Mediolani secunda Rhetorum omnium admurmuratione artem rhetoricam præcepisse. Sed ut hæc missa faciamus, non modicam ab eloquentiæ officinis pigmentorum supellectilem paravisse sibi Augustinum, ipsa ejus volumina tanquam ejus ingenii, & linguæ spirantia monumenta luculentissimam astruunt fidem Auditores: quem admodum enim cum veritas ipsa limatur in disputatione, nemo illo subtilior, ita cum concionis animos subire leniter, suaviterque opus est, nemo aptior illo, solertior nemo invenitur: sic tamen animos permeat, sic intimos ani-

mo-

morum affectus pertractat, ut nec dictorum gravitatem dictionis dulcedine frangat, & nihilominus argumentorum jacula quadam semper dulcedine delibuta altiùs in hominum sensus immitat: enimverò nitet illius oratio, sed sanguine, sed vita, sed viribus nitet, & æquè eleganter, ut fortiter suomet pugnat, expugnatque simul nitore.

Redeo jam ad ea doctrinæ cælestis æraria, præclara Doctoris hujus volumina. Ego certè quodcumque mecum recogito eorum voluminum vim tantam, ac numerum, & pulcherriam varietatem, & lectissimam ubertatem, & nobilissimam turbam, intelgo id appositè in Augustinum congruere quod ipsemet de Marco Varrone eruditissimo viro testatum voluit: videlicet tot illum in libris, ac tam studiose pervolutandis distentum, ut mirandum sit, tot aliis scribendis nancisci otium potuisse; rursusque tam multa è suomet ingenio protulisse, ut & ea, quæ de suo protulerunt alii, lectitasse omnia præsertim exiguo hoc abeuntis vitæ transcursu, singulare non immeritò censeatur.

Foret nunc planè animus tantæ, ac tam copiosæ sapientiæ certissimum testimonium vel ab ipsis christianæ fidei desertoribus, & oppugnantibus extorquere. Te Pelagiane, te Arriane, te Priscillianista: vos Judæorum infelices reliquiæ, vos Æthnicorum inquinatissimi greges, vos Donatistarum, Manichæorum, ac cæterorum perditorum omnium Ductores perditissimi: vos denique omnes, quos nequissimi isti congerrones per vaniloquentiam suam suæ quondam vanitatis, ac temeritatis implerunt, quàm lubenti gaudentique nunc animo ex inferis excitarem, ut quantum in Augustino prævalidæ sapientiæ fuerit ad vestros impetus repellendos, quantum ad aculeata sophismata retūdenda, quantum ad offucias diluendas, ad eludendas præstigijs quantum, vestra omnium testificatione compertum nobis, atque certum redderetur. Sed pretium nequam operæ fuerit tam ex ima tartari fæce testes tam miseros advocare, eam ut sapientiam testentur nobis, cujus & testes, & præcones, viros cum primis sapientissimos, atque ipsos adeo sanctif-

si.

simos Ecclesiæ Patres habemus. Novistis Auditores, quid Rupertus, quid Claravallensis Abbas, quid Beda venerabilis, quid magnus Gregorius, quid Nolensis Antistes Paulinus de summa hujusce Africani intelligentia, scientiaque asseverent. Gravissimam, ac splendidissimam Divi Hieronymi de eodem Africano opinionem novistis. Is nempe Hieronymus, cui tanta fertur indita fuisse ingenii docilitas, memoriæque constantia, ut quidquid legeret, confestim arriperet, & insculptum animo fideliter, perenniterque servaret; ut in cujusque rei cognitionem vel infinitis præcinctam difficultatibus introiret, ut nullius disciplinæ insuetus, plurimum foret linguarum peritus, omnium gentium, temporumque immensa eruditione cumulatus: Hieronymus, inquam, qui tanto in sacris Scripturis exponendis magisterio præcelluit, ut universæ Ecclesiæ judicio honorificentissimo sit maximi titulum consecutus: is Hieronymus, mirum est, quàm vehementer per Epistolas officio, benevolentiaque refertas Augustinum attollat, quanta verbo-
rum

rum granditate ejus modò ingenium ,
 modò doctrinam , modò scripta com-
 mendet. Quin etiam rogatus aliquan-
 do , cur ejus calamus , qui nullius hæ-
 reseos improbitatem inultam fineret ,
 Pelagianis erroribus pepercisset , illud
 reposuisse verbum acerrimus vir , mul-
 tarumque palmarum bellator nobilif-
 simus legitur : nihil esse , quòd suum
 ipse stylum in Pelagianos distringeret,
 quos contra cum Augustinus haud ita
 pridem exitiabile bellum facere occu-
 pavisset , tot in eos argumentorum ar-
 ma conflaverat , tot procuderat , &
 contorserat spicula , ut ille unus penè
 totum exarmasse armamentarium Pal-
 ladis videretur .

Ad hæc jam opportunitas monet , ut
 Florentini , ut Tolentini Concilii octa-
 vi , ut aliorum magnificentissima testi-
 monia , ac celeberrimas de Augustino
 laudes commemorem ; cum tamen ex-
 clusus tempore id ipse per otium exe-
 qui in præsentia nequeam , unum illud
 esto pro cunctis , & testimonium , &
 præconium , quod in omnigenam Au-
 gustini litteraturam cætus Catholico-
 rum universus una mente , unaque vo-
 ce

ce consentit, Augustinum acclamans Sapiens principem, Ecclesiae firmamentum, fidei propugnaculum, veritatis lumen, atque columnen praestantissimum. O sapientiam prorsus admirabilem, o doctrinae opulentiam circumquaque affluentem, o ingenii perspicacitatem supernis mentibus superarem.

Longè tamen mirabilior existet ea mentis altitudo, & latitudo doctrinae, si (quod erat altero loco propositum) consortem illi piæ demissionis profunditatem; (infrequens profectò consortium) videamus. Hujusmodi ergo virtutis, cujus corporatum numen & Doctor nobis, & documentum praevit, insigniter studiosum fuisse Augustinum, probationi sit nobis illud ejus librorum genus, quo quidquid ab se aut pravè factum, aut minus ad decori, honestique regulam conformatum fuerat, venerabilis reus in vulgus dare, in publicam futurorum temporum, mundi que totius lucem exponere non abnuit, non extimuit, non expalluit. Quanta ibi sinceritas extat accusationis, quanta judicii animadversio, quanta

ta

ta animadversionis, & quam districta
severitas! Jam pueritiæ ille suæ levita-
tem fatetur: jam lubricas lamentatur
adolescentiæ suæ vias: jam furtum cri-
minatur nescio quod: jam condemnat
prolapsam in princeps diù laxiorem li-
centiam: jam præteritarum libidinum
mortiferam luem, & contagia detesta-
tur. Arguit interdum sese, quòd olim
mundanæ gloriæ, & ventosæ nominis
immortalitati juveniliter nimis velifi-
cans captaret multitudinis favorem, &
famam, & ramusculos mendacissimos.
Accusat interdum, quòd cum Deus
meliorem ei mentem, & consilia sanio-
ra suggereret, haud ipse ad bonam se
frugem recipere maturaret, sed diem
ex die ducens, quendam de divina pa-
tientia quasi ludum, quoddam quasi
ludibrium factitare non perhorresceret.
Intelligamus ex his clarissimum gene-
rosæ demissionis exemplum: perpen-
damus in his germanum candorem
Christianæ humilitatis. Si qua macula
animo concepta est, eam subinde pia-
culari confessione apud unum aliquem
deponere, qui taciturnæ fidelitatis di-
xerit sacramentum; humanæ adhuc
na-

naturæ perquam asperum est, atque
acerbum: quantam igitur ejus demis-
sionis efficacitatem fuisse noverimus,
quæ eximium hunc Catholicæ verita-
tis vindicem, ac patronum ad suorum
criminum commemorationem in or-
bis terræ theatrum per omnes ætates
evulgandam scriptis confessionum sua-
rum libris adegit?

At (inquires) ardua, laudabilisq; magis
res est, cum aliquid se homo mentis
errore offendisse, quam cum aliquid
voluntatis vitio peccavisse, confitetur.
Fac ita esse: quid tandem? Num speci-
men hujus quoque demissionis, quam
tu difficiliorem, & laudabiliorem ap-
pellas, in Augustino requiris? Inter-
roga, si placet, aureum illum libellum,
quo Scriptor Sanctissimus quidquid si-
bi sparsim multis in locis inconsultè,
imprudenterque excidisse videbatur,
ingenuè, modestèque retexit; Erit
fortasse qui in minimis id quoque nu-
merandum existimet. Mihi utique (di-
cam apertè quod sentio) maximam in-
cuteret admirationem, si quis è medio
Sapientum Senatu prodiret, qui suis-
met assertionibus suffragator addictus,

E

&

& quasi juratus non esset. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed præ nobis ferendum: sua cuique nimis arrident, præsertim quæ ad ingenium, & ad scientiam attinent, quamvis absona illa, atque absurda Sapientiorum arbitriis evincantur. Lucētem amplexamur veritatem, sed eandem redarguentem aversamur: quandoquidem cum præcipua pars in homine sit ipse animus, atque adeo animus hominis si non unicè, præcipuè tamen sit homo; efficitur sæpe, ut nostris nos meditentis vel dum minus bona sunt, tenaciter, ac pugnaciter insistamus tanquam optimis, quia soboles qualiscumque sunt illius videlicet partis, quæ in nobis est optima. Quòd ergo Augustinus grande illud Doctorum, & doctrinarum oraculum & se revocando, & suis tum sententiis, tum verbis castigandis austerissimi censoris munus obiverit; id nos silentio prætermittendum, id in vulgaribus, atque usitatis habendum, id minimè celebrandum, admirandumque putabimus?

Et verò illud in animum inducat
nul-

nullus, Augustinum eatenus præstare se ultrò submissum, dejectumque, ut si quid scribendo aberravit, se unum Magistrum sui, se unum castigatorem, se Aristarchium unum patiatur, præterea neminem. Quoties ne qua forsitan in re per errorem lapsus à veritate deflectat, ad Hieronymi examen, & limam suas reprehendendas lucubrationes demittit? Quoties si quid inter legendum obscuri, ancipitisque obii-
ciat se, quod utròque trahant Auctores, Hieronymum tanquam animatum divinæ sapientiæ tripodem consilii causa scitatur? Quoties si qua difficultatum ambage detentus, aut Scripturarum occultiore loco impeditus subsistat, Hieronymo quæstionem ponit, tanquam auditor Preceptori suo, & ejusdem subinde quæstionis explanationem efflagitat? Cogor tacitus præterire alia propemodum infinita, quæ produci in hanc sententiam possent. Verumtamen satis, ut spero, dictum habeo ad id, quod à primo prædixeram, ostendendum; Augustinum tantam religiosæ mentis humilitatem cum summa ingenii, doctrinæquæ excelsi-

tate colligatam gessisse, ut ob hujusmodi colligationem, quæ inter mortales tam rara invenitur, jure optimo magni cujusdam monstri nomen ei præcellissimum tribuamus.

Utinam qui eruditum otium confectantur, insigne hoc militantis Ecclesiæ monstrum sibi exemplar proponerent: certè hoc ætatis illa sapientiæ ostentatio insipiens haud ita solemnis foret iis præsertim hominibus, qui vix dum litterarum Emporiis longè salutatis repentè cum bonorum omnium stomacho venditare gestiunt se litteratos, se sapientes; deque auræ popularis fragore levissimo tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumunt, ut vel in ipsa humani generis universitate alium esse præ se ipsis sapientem neminem arbitrentur. Studeant, quæso, quoad possunt, voluntariam Augustini subjectionem sensibus, ac moribus totis exprimere, studeant sublimem illam sapientiam imitari. Sin alteram ex iis parare, aut conquirere sibi noluerint, careant sapientia, modò ut subiecti animi modestiam prosequantur: nam sapientia nisi ex verecundo

san-

sanctissimæ humilitatis conjugio dota-
le honestamentum accipiat, per se ipsa
sordescit; at sanctissima humilitas vel
sine sapientia spectabilis per se ipsa est,
si verò sapientiæ conjugium accedat;
propemodum divina: divinæ quippe
magnitudinis in sapientia, & sapientiæ
in magnitudine multum instar ille
animus representat, qui demissè sa-
piens, sapientèrque demissus per sa-
pientiam suam sic sapit, ut non ea in-
sipienter abutendo tumescat ad ina-
nem jactantiam, sed eadem sapienter
utendo grandescat ad solidam gloriam:
quorum alterum tumor est egritudinis,
alterum plenitudo salutis.

PROSA DECIMA.

De Divo Marone.

ORATIO.*



Riscam laudare virtutem
Auditores, idque suspice-
re, quod olim in ipsis re-
rum humanarum cunabu-
lis, aut in ipsa divinæ religionis infantia

E 3

virili-

* *Dicta fuit à quodam Colleg. Maronitarum A-
lum.*